



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **FONTIBONENSIS** IN COLUMBIA NOVA
DIOECESIS FONTIBONENSIS APPELLANDA ERIGITUR. Suam eminentiam Christi mysterium, quod
Ecclesia omnibus hominibus diligenter nuntiare conatur ut in Christum credant eiusque percipiant vitam. Qua de re
sollicitus Venerabilis Frater Noster Petrus S.R.E. Cardinalis Rubiano Sáenz, Archiepiscopus Bogotensis, audita
Conferentia Episcoporum Columbiae, ab Apostolica Sede enixe postulavit ut, ad melius consulendum spirituali bono
christifidelium sibi concreditorum, ex eiusdem archidioecesis parte separata nova inde dioecesis erigeretur. Ideo,
praehabito favorabili voto Venerabilis Fratris Beniamini Stella, Archiepiscopi titulo Midilensis et in Columbia Apostolici
Nuntii, audito consilio Congregationis pro Episcopis, decernimus huiusmodi preces excipiendas esse. Itaque de
plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis statuimus ut ab archidioecesi Bogotensi separetur integrum territorium
paroeciarum vulgo nuncupatarum: *El Santísimo Sacramento; El Santo Cristo; Jesús Amor Misericordioso; La Ascensión
del Señor; Madre de la Divina Providencia; Madre de las Misiones; Madre y Reina del Carmelo; María, Madre de la
Iglesia; María, Madre del Redentor de Casablanca; Nuestra Señora de Fontibón; Nuestra Señora de la Caridad; Nuestra
Señora de la Laguna; Nuestra Señora de la Macarena; Nuestra Señora de la Medalla Milagrosa; Nuestra Señora de la
Purísima Concepción; Nuestra Señora de la Salud; Nuestra Señora del Amparo; Nuestra Señora del Tránsito; San
Andrés; San Cayetano; San Eugenio; San Felipe de Jesús; San Ignacio de Antioquía; San José de Fontibón; San Juan
de la Cruz; San Juan Macías; San Justino Mártir; San Leonardo Murialdo; San Mauricio; San Pablo Miki; San Patricio;
San Pío X; San Roberto Belarmino; San Roque González; Santa Bernardita; Santa Engracia; Santa Juana de Arco;
Santa Luisa de Marillac; Santa Margarita María de Alacoque; Santa María de Pilar; Santiago Apóstol; Santo Tomás
Moro; Santos Apóstoles Pedro y Pablo; Santos Cirilo y Metodio*. Ex ita definito territorio novam dioecesim
Fontibonensem appellandam constituimus, cuius sedem in loco vulgo dicto *Fontibón* ponimus ac templum paroeciale
ibidem exstans, Deo in honorem Sancti Iacobi Apostoli dicatum, ad gradum et dignitatem Ecclesiae Cathedralis
evehimus, iuribus ac privilegiis concessis quae ad eiusmodi templa spectant. Novam quidem dioecesim *Fontibonensem*
metropolitanae Ecclesiae Bogotensi suffraganeam constituimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi
eiusdem Ecclesiae metropolitanae pro tempore subicimus. Quod autem ad novae dioecesis pertinet regimen, clerum et
Seminarii alumnos, congruam institutionem, bonorum ecclesiasticorum administrationem, sede vacante administratoris
electionem, fidelium iura horumque similia, serventur praescripta Iuris Canonici. Documenta et acta quae conditam hanc
dioecesim respiciunt, ad eandem Curiam mittantur ibique in tabulario serventur. Ad haec omnia perficienda delegamus
Venerabilem Fratrem Beniaminum Stella, Archiepiscopum titulo Midilensem et in Columbia Apostolicum Nuntium, vel,
ipso absente, negotiorum Sanctae Sedis in eadem Natione gestorem, cui sane necessarias et oportunas tribuimus
facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere

imposito remittendi ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis. Has denique Litteras Nostras ratas et firmas esse nunc et in posterum volumus, quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto mensis Augusti, in festo Transfigurationis Domini, anno bismillesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Iosephus Conte, *Protonot. Apost.*

s.n.

IOANNES B. card. RE

Congr. pro Episcopis Praef.

*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 12, pp. 813-815 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana